

patere me esse amicum tuum. Nobistantum utile est, tam quod Christus in nobis, quam quod nos in Christo maneamus. Christo nihil accedit, nisi gloria tantum extrinseca, et gaudium accidentale. Jam ergo quomodo non insaniunt, qui in Christum, a quo gestantur veluti palmites a vite, injurii sunt? Nonne si filius matrem, a quagestatur, pugnis impeteret, et caderet in faciem, mereretur abjici in angulum et derelinqui? Nonne sponsa recederet a sponso, quem videret alias mulierculas ad se inducere, et adamare. Pari jure Deus abjicit a se illum, qui non desinit eum offendere, quique in ejus odium introducit amasias alienas, voluptatem, avaritiam, ambitionem, gulam, etc. iisque adhæret. Quare ne hoc contingat nobis vitemus peccata, et oremus quantum fieri potest, sine intermissione, cum regio psalmista David ex Psalm. L. *Ne projicias me a facie tua et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Mane in nobis Domine et nos in te maneamus.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. Cur vitis Christus? — II. Cur vitis vera? — III. Quomodo Deus Pater agricola? — IV. An Christus etiam agricola? — V. Quomodo palmites, id est, Christiani sunt in Christo, veluti in vite? — VI. Quomodo tollatur palmes non referens fructum? — VII. Quomodo palmitem ferentem fructum purget Deus? — VIII. Palmes quomodo cultro persecutionis purgetur?

THEMA.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.
Joan. XV..

Merito hoc evangelium legit Ecclesia in festis sanctorum martyrum: describit enim arctissimam inhesionem sanctorum in Christo. Tametsi vero omnes electi palmites quidam sunt, Christo tamquam viti implantati et inhærentes, præsertim tamen martyres. In eorum enim persona ait apostolus ad Romom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur ista die, æstimati sumus, sicut oves occisionis.* Itaque licet cultro seu gladio persecutionis ita pulsati sint, ut ex eorum membris sanguis undique manaret, non tamen amputari a Christo poterunt, sed fortius ei adhæserunt et majorem fructum tulerunt. Quotusquisque nostrum est, qui si proferretur culter, ad scindendum corpus, nonne

perterresferet, et nutare inciperet? Sed non ita S. Georgius, non ita martyres reliqui, qui quo magis putabantur, eo præclariorem virtutum succum emittebant. Quos ut imitari discamus, doctrinam evangelii audiamus.

I. Cur vitem se vocat Christus? Respond. primo, ob multitudinem et dilationem credentium. Ut enim vitis plurimos habet palmites, ita Christus plurimos fideles sibi inhærentes: vitis etiam palmites suos latissime extendit, ita Christus Ecclesiam suam per universum orbem.

Secundo, quia optatissimum et pretiosissimum fructum mundo attulit: *Vinum, quod lætificat Deum et homines*, Judic. IX. sanguinem scilicet suum, quo a peccatis abluimur, et potamur in sacramentis. Quamquam iste succus magni ipsi constitit, et exprimi torculari crucis debuit, sicut in benedictionem Judæ de Christo prædixit Jacob: *Lava in vino stolam suam*, id est, humanitatem suam, et *in sanguine uxæ pallium suum*, id est, Ecclesiam, Genes. XLIX. Ex hoc succo (meritorum Christi) omnia ejus membra vivunt et fructum gignunt: quia omnia nostra opera bona, inde meritum vitæ trahunt, inde omnia sacramenta vim et efficaciam. Sed quemadmodum vinum non prodest nec lætificat nisi potatum, et succus in vite nisi a palmitibus attractus, et quodammodo potatus; sic nec Christi sanguis, nisi nobis applicatus, per sacramenta et bona opera.

II. Cur se vitem veram dicit? Resp. primo, veram, id est, sinceram et genuinam, quæ continet et tradit suis palmitibus succum veræ fidei et pietatis: non adulterinam aut agrestem, quæ fructum nullum aut certe amarum proferat infidelitatis, apostasiæ, aliorumque scelerum. Ita dicitur de synagoga, Jerem. II. *Plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo conversa es mihi in pravam vineam alienam?* Quod idem de hæresiarchis dici potest; quia in Ecclesia et religione plantati, vites factæ sunt pravæ et adulterinæ, ut Lutherus, Zwinglius, OEcolampadius, etc. Plantaverat in illis Ecclesia semen verbi Dei verum, sed illi id depravarunt et depravatum aliis traderunt.

Secundo, veram, id est, perfectam et eximiam, quæ optimas propagines et optimum gignit fructum, omniaque illa præstat, quæ a bona vite expectantur, sic Joan. I. dicitur *lux vera*: et Nathanael *vere Israelita*, Joan. II. Multi etiam viri sancti vites sunt, et palmites ex se gignunt, uti imprimis ordinum fundatores, gentium aut urbium apostoli. Sed hi fructum et palmites non ex se (uti Christus) sed ex Christo ejusque adjutorio proferunt.

III. Quomodo Deus pater agricola est? Resp. Pater id est, tota SS. Trinitas agricola est. Primo, quia plantavit vitem humanæ Christi naturæ in utero B. M. Virginis: stercoravit, quando eam pinguedine Spiritus sancti et omnibus ejus donis implevit: circumfodit, cum Judæos illi hostes et insidiatores dedit, qui foderent foveam animæ ejus: putavit, cum ei in passione decorem omnem perdidit, gloriam, potentiam, sapientiam, regiam dignitatem, nominis celebritatem, beatitudinem animæ, qua redundabat in partem ejus inferiorem, etc. palo illigavit seu pastinavit, cum affixit cruci: pampinavit, cum ibidem ostendit per miracula botrum divinitatis ejus: pressit in torculari, cum mortis doloribus oppressit: excoluit, cum post hiemem passionis in vere resurrectionis redivivum ostendit.

Secundo, quia etiam circa palmites occupatur et operatur usque modo, plantando, rigando, burgando, alligando per verbum Dei, per sacramenta, per præcepta, per tentationes, denique fecundando, et incrementum dando. Unde apostolus I. Cor. II. ait: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*: ibidem se et alios evangelii ministros, cooperatores Dei vocat, quasi famulos magni illius agricolæ.

IV. Nonne etiam Christus est agricola, cum ipse et Pater unum sint? Et paulo post ipse testatur se agricolam esse, cum ait: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*? Cur ergo Patrem tantum vocat agricolam? Respond. primo, id facere, ut servet decorem probole, et simul accommodet se captui audientium. Quia in humanis non solet esse idem vitis et agricola, unde auditores difficile intellexissent, quomodo Christus simul esset vitis et agricola. Ubi discunt concionatores intelligentiæ auditorum se accommodare.

Secundo, ut doceat nos humilia nostra proloqui, sublimia tacere, et alteri potius gloriam quam nobis tribuere: licet nobis etiam debeatur. Nos defectus nostros occultamus, dona quibus excellimus ostentamus: nos ipsos prædicamus, aliorum gloriam tacemus. Sed non ita Christus, qui sibi humilitatem vitis, quæ cultura aliena indiget, Patri cultoris dignitatem tribuit, licet hanc et ipse habuerit.

V. Quomodo palmites, id est, Christiani sunt in Christo veluti in vite? Respondetur per fidem et charitatem. Aliqui enim per solam fidem ei adhærent, quia nimirum veram fidem habent (nam qui veram non habent, prorsus non adhærent vinculo scilicet supernaturali, seu fide divina, sed humana tantum: quomodo scopæ adhærent baculo), sed in statu peccati sunt, et chari-

tate carent. Et hi similes sunt surculis, qui in optimo trunco insiti virent quidem, sed fructum nullum aut certe malum ei agrestem afferunt quibus proinde velut infrugifera illi ficui imminet excidium et gehenna. Habent isti folia, id est, fidei confessionem, sed non habent fructum: cujusmodi erat illa Os. XX. *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei.* Ejusmodi ficum maledixit Dominus. Alii per charitatem etiam eidem Christo adhærent, et sunt fideles in gratia constituti, et hi fructum ferunt bonorum operum, unaque cum vite sua celo inferuntur. Porro in hac implantatione duo mira, et naturali implantationi contraria reperiuntur, ut advertit Aug. in Psalm. LXXII. Primo, surculus agrestis inseritur viti urbanæ seu nobili, id est, Christo, cum e contra in natura trunco silvestri inseratur surculus nobilis, ut oliva oleastro: ut scribit apostolus ad Rom. XI. *Tu ex naturali excisus es oleastro, inquit, et contra naturam insertus es in bonam olivam.*

Secundo, surculus agrestis Christo insertus, non fert fructum agrestem, sed nobilem: cum in natura surculus insertus non ferat fructum trunci, cui est insertus, sed suum. Itaque oleaster olivæ insertus naturaliter oleastri non olivæ fructum fert: sed contrarium fit in insitione spirituali. Unde Christiani facti christiana opera facere debent, non qualia in gentilismo vel hæresi facere assueti sunt.

VI. Quomodo agricola noster palmitem in Christo non ferentem fructum tollit? Respondetur primo, quando inutiles Christianos, qui sola fide ei adhærent et nullum fructum bonum, sed potius malum ferunt, sinit labi in hæresin. Tunc enim mittitur foras palmes, id est, extra Ecclesiam, tunc arescit, et omni gratiæ humore destituitur, tunc colligitur a dæmonibus, sicut inutilis caro projecta extra macellum colligitur a canibus foris expectantibus, tandemque in ignem mittitur. Non dico cum hæreticis, peccantes illico perdere fidem: sed facilitatem ac consuetudinem peccandi graviter esse gradum ad hæresin et excisionem a corpore Christi. Non enim est difficile persuadere luxuriosis, castitatem esse impossibilem: rebellibus obedientiam et vota non servanda: gulosis jejunia non prodesse: delicatis frustra esse satisfactionis et mortificationis opera. Et hac ex causa hæresiarchæ et eorum sectatores a vite Christi excisi sunt.

Secundo, cum aliquem deserit, et nullam ei culturam adhibet, uti minatur vineæ sterili synagogæ, Isa. V. *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem, non putabitur et non fodietur,*

etc. Quod deprecatur David, Ps. L. *Ne projecis me a facie tua.*

Tertio, quando infructuosos ramos e vite terminat, et in infernum præcipitat: *Descendite a me maledicti.* O separationem terribilem! Quid enim est separari a summo bono, ab omnibus electis? Sic facere intendit ficui illæ infrugiferae, Luc. XIII. qui per triennium fructum nullum tulit. Nec immerito, si enim in hortis nostris non toleramus arbores inutiles, et infecundas, nec in corpore membra putrida, quid mirum, si in Filio suo Deus non ferat inutiles Christianos? Tolerat quidem aliquamdiu, et expectat eos ad penitentiam et fructificationem; sed vae illis, si abutantur ea indulgentia ad peccandum: *Nemini dedit Deus spatium peccandi,* ait Eccles. cap. XV. sed penitendi et fructum afferendi. Notandum præterea, si sterilis palmes et fructum bonum non ferens tollitur et in ignem mittitur, quid fiet ferenti malos et noxios fructus.

VII. Quomodo palmitem ferentem fructum purgat Deus? Respondetur primo, tunc purgare quando ea, quæ noxia sunt palmitibus ab iis resecat, ut peccata venialia, cupiditates rerum terrenarum et affectus inordinatos, peccandi occasiones, etc. Sic vinitor putat palmites, cum virgas excrecentes et luxuriantes ab eis resecat, ne pro fructibus folia tantum et rami gignantur. Ejusmodi autem falces, quibus putantur Christiani, sunt frequens sacramentorum usus, tentationes, et morbi, quibus resecantur creaturæ amatæ, verbum Dei et admonitiones salutares, exempla, quæ dant boni, vel quæ dat Deus præmiando bonos et puniendo malos. Gauderet sane viti cum putatur, si ratione prædita esset: gaudeat et Christianus cum his falcibus purgaturus. Sanctus Jacobus, cognomento *intercisus*, cum digiti et cætera membra ei abscinderentur jussu regis Persarum, abscisso primo digito dixit: «Liberator Nazarene, suscipe ramum arboris misericordiæ tuæ. Nam a cultore vineæ sarmentum abscinditur vitis ut potius germinet et uberius coronetur.» Cumque instaret illi carnifex, ut fidem abnegaret, respondit: «Nonne protexisti stipitem vitis, quia, cum amputantur sarmenta, ille nodus qui remanet in suo tempore, cum terra calefcere incipit, per singula abscissionis loca producit germina? Si ergo vitis putatur vicissitudine temporis ut germinet, quanto magis fidelis homo, qui in vera vite Christus compactus est?» Sic ille, qui et per singulas mutilationes membrorum singulis sententiis Deum benedixit. Similiter, et tu vitem te esse cogita, cum Deus abscindit tibi

sanitatem. Sic sentiebat eremita ille, qui cum uno anno a morbo immunis fuisset, dixit: *Domine Deus cur me deseris? Cur me desolatum hoc anno non visitasti?* Et religiosus ille infirmo adolescenti sanitatem desideranti: *Rem tibi necessariam, inquit, cupis auferri: si enim aurum es per ignem probaris: si ferrum, rubiginem amittis.* Ex vitis patrum referunt Simon Goulart. et Ludov. Granat. serm. de commemoratione animarum. Item cum tibi abscindit per mortem liberos vel amicos. Sic Sancta Melania cum marito nondum humato, binos insuper amisisset liberos, nihil aliud dixit, quam: *Magis expedite tibi servitura sum Domine, quia tanto me honore liberasti,* Hieron. in epist. ad Paulam. Item cum per incendium, rapinam vel similem afflictionem opes tibi adimit, ita S. Francis. bonis suis exutus a parente, dixit, sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi: *Pater noster, qui es in caelis.*

Secundo, verbo Dei, et salutaribus admonitionibus quasi lavacro quodam. Unde subjicit Dominus: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Laverat paulo ante pedes suis discipulis, non tamen ob id mundos ait, sed propter sermonem, quem postea ad eos fecit; itaque illa lotio figura hujus fuisse videtur. Nemo igitur detrectet ad spirituale concionis balneum venire, quia ibi sordes abluuntur. Ad balneum singulis fere sabbatis itur, et lixivium admittitur: cur non potius id præstamus animæ? Sed nimirum uti capita scabiosa horrent lixivium et pectinem: ita qui sibi male conscii sunt, fugiunt conciones. Multi existimant non posse se esse sanos, nisi semel in hebdomada se lavent: a balneo vero concionum sæpe multis hebdomadibus ac mensibus abstinere possunt: quos certe necesse est, sordibus scatere.

Tertio, penitentia et lacrymis, quæ sunt instar sacrificiationis, qua superfluis redundans sanguis emittitur, et nisi emittatur, quandoque graves et lethales morbos gignit. Eadem ratio cum penitentia. Crebro aperiantur conscientie confessariis, ut emittatur sanguis noxius peccatorum. David certe, cum per novem fere menses in peccato hæsisset, et penitere omisisset, tandem noxio sanguine gravatus exclamat, Psal. L. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Ac nisi venisset Nathan, qui quasi sacrificando conscientiam ejus sauciavit, et sanguinem elicuit, forte perisisset. Nemo igitur ægre ferat, si idem etiam confessarii faciant. Et quemadmodum sacrificatio fit fere singulis mensibus, sic deberet fieri confessio.

Quarto, exemplis bonorum, necnon iis, quæ ipse Deus dat misericordiæ vel vindictæ, quasi venæ incisionibus: ut enim unius venæ incisione purgatur sanguis in venis aliis toto corpore, sic quando Deus incidit aliquando venam unam, cum tollit repente e medio nostri amicum unum, etc. cogitemus tunc: *Hodie tibi, cras mihi,* et vitam, si sapimus, emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subito preoccupati die mortis, quæramus spatium penitentiae, et invenire non possimus.

VIII. Itane omnem palmitem purgat, cultro persecutionis? Respondetur, id affirmari et confirmari ab apostolo, II. Tim. III. cum ait: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecu-*

tionem patientur. Primo, quia semp eradsunt difficultates in superandis vitiis, et concupiscentiis propriis franandis. Unde S. Leo, serm. IX. de quadragesima ait: *Sicut totius est corporis bene vivere, ita totius est temporis crucem ferre.* Secundo, quia diabolus neminem non tentat et impugnat. In quem sensum S. Augustin. in Psalm. CXXVII. ait: *Si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones. Si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? Unde non minas et scandala procurat?* Tertio, quia quicumque pie vivunt, habent obtrectatores, irrisores, ludiones, fraudatores, detractores: *Impossibile enim est, ut qui malis bellum indixerit pressuris careat,* inquit S. Chrysostomus, in dictum apostoli locum.

UCTARIUM.

CONCIO I.

QUOS DRACONES NECARIT S. GEORGIUS.

I. Diocletianum et præfectum ejus. — II. Diabolum.
— III. Mundum. — IV. Mortem.

THEMA.

Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Isa. XV.

Sancti Georgii festum apte consequitur præ aliorum festivitatis solemnitate resurgentis Domini. Eodem enim die, quo Christus patiendo, humani generis hostem debellavit, in parasceve scilicet, et ipse martyrii sui certamen obiit, ut scribit Metaphrastes, in ejus encomio, eundemque in passione strenue secutus est: jure itaque merito post resurgentem Christum primus celebratur in Ecclesia militante. Hinc forsitan accidit, ut etiam ipsi Georgio subjectum ad pedes draconem appingerent antiqui, quemadmodum et Christo resurgenti serpentem ab eo calcatum. Unde posset aliquis querere ex Georgio, cum Isaiâ LI. *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?* Quia nimirum eodem die quo Christus passus es, et draconem prostravisti. Sed absit ut gregario militi demus, quod debetur ejus duci. Percussit quidem ipse et vulneravit draconem; non tamen ita, quemadmodum ipse dux noster Christus. Hic enim propria virtute, Georgius gratia et virtute Christi demonem debellavit. Vulgi opinio est, verum draconem a Georgio interfe-

ctum esse pro salute alicujus virginis, cum tamen in ejus vita, quam servus ejus Pasocrates scripsit, nihil de hoc habeatur. Quare figurate virgo illa intelligenda est vel provincia aut civitas, quæ adversus diaboli vires tanti martyris imploret auxilium, ut vult Baronius, in martyrol. 23. apr. vel Ecclesia, ut alii; vel fortasse Alexandra imperatrix, quam ipse contra impetum Diocletiani mariti convertisse et Christo lucrificasse scribitur, in cit. vita. Cæterum hic videamus accuratius, quos tandem dracones Georgius interemerit.

I. Primus hic fuit tyrannus Diocletianus ejusque præfectus Magnentius, quibuscum pugnavit. Notum est ex historia naturali Plinii, I. VIII. c. XI. et c. XII. Isidori et aliorum, draconem ob innatum calorem siti æstuarie, ideoque sanguinem elephantis gelidum avidè expetere, unde cum ad arborem forte elephas adhæret, ex ea in ipsum desilit, eique circumplexo sanguinem exsugit, donec debilitatum sternat; qui tamen corruendo draconem opprimit enecatque. Diocletianus sanguinis christiani sitientissimus helluo (idcirco in vita S. Georgii, a Pasirate ejus servo conscripta *sævus draco* appellatus) Georgii etiam sanguinem vehementer sitiēbat; et primo quidem, vecte eum verberari jussit, ut totum ejus corpus sanguine perfunderetur: deinde, in rotam acutis cultris armatam injici, et fœde lacerari, ibique deseri, ut interiret. Unde tamen per angelum mire ereptus et sanatus, rursus se non modo vivum, sed etiam incolumem imperatori stetit,